



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 13322648

§. 88. Infesta turcarum molimina contra Insulam Melitensem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

Sæc. XVIII.
A. C. 1730.

ginta Franciæ Episcoporum instructio circa Constitutionem *Unigenitus* scripserat, & paulo ante obitum suum coram Capitulo suo Cathedrali palam testatus erat, quod sese sincero animo omnibus Ecclesiæ decretis & præcipue præfatæ Constitutioni submittat. Michael Poncet de la Riviere Andegavensis Episcopus, qui Facultatis Theologicæ Doctor Constitutionem accepit, & pacificationi desuper factæ accessit, Anno autem 1722. die 25. Octobris luculenta oratione solemniter Franciæ Regis coronationem honoravit. IV. Denique Varsoviæ Vincentius Santini. qui in Poloni Regis Nuntium Apostolicum egit, mortaliæ tem exiit, eidem vero Camillus Paulucius successit.

§. LXXXVIII.

Infesta Turcarum molimina contra Insulam Melitensem.

Hoc item anno haud incertus rumor Melitenses Equites ad strenuam defensionem animavit; quippe non modicis crebris literis, sed etiam ab ipso summo Pontifice admonebantur, Turcos omnia moliri, ut Insulam improvisi armorum impetu obruere possent. Plures etiam Barbarorum naves vicinam marem

prorsus infestum reddebant, imo earum Sæc. XVIII.
 Gubernator unacum Legato Turcico A. C. 1730.
 ad portum appulsus, inter horrendas
 minas bellum nuntiabat, traditis lite-
 ris, quas Magno Ordinis Magistro por-
 rigi, ac desuper quantocius responderi
 voluit. Hujus epistolæ tenor erat
 sequens :

*Agdi Bacha supremus Ottomanicæ
 classis Præfectus &c.*

Primo ac supremo Melitensis Insulæ
 Domino, sui que Senatus ac populi Proceri-
 bus, qui in hac Insula morantur, & Mes-
 siam adorant, notum facimus, nos a ma-
 gno Domino, totius Orbis Domitore, &
 mundi refugio speciatim fuisse ablegatos, eo
 fine, ut omnes tam Turcæ quam alii, qui
 ab Anno 1721. a Serenitatis tuæ subditis
 eorumque navibus capti, & in servitutem
 redacti sunt, nulla mora libertati reddan-
 tur, & coram supremo ac invincibili throno
 sistantur. Ea duntaxat ex causa Magnus
 nosser Dominus armis nos instruxit, præ-
 cepitque, ut Vos per has literas de ad-
 ventu nostro certiores reddamus, vobisque
 significemus, Vos, si secus feceritis, aut
 captos reddere, vel gratum responsum dare
 retardaveritis, mala inde oritura non sine
 gemitu ac dolore experturos.

His

Sæc. XVIII.

A. C. 1730.

His minis haud territi Equites, libito consilio ac re mature pensata de
 crevere, sequens responsum esse Turco
 dandum :

Supremus Melitensium Magister, eoque Venerabilis Senatus Agdi Bacha, primo rei maritimæ Præfecto salutem.

Perlegimus Serenitatis vestræ literas in publico Senatu, inde Magni Domini potentissimi vestri Monarchæ Zelum non grata admiratione commendavimus: per proximum etiam Consilium, quo Te per huc eo fine ablegare voluit, ut Turcicæ petas mancipia, quæ vel in hac Insula vel aliis ditionis nostræ locis detinerentur. Absdubio tamen tibi notum erit, nostris situti legibus nos non obstringi, ut mancipia conquiramus, sed ut navigationem & Christianorum mercaturam pro vestris nostris securam reddamus: Si ergo nostræ in piratas incidunt, eos in servitium, utpote jure belli captos, redigimus. Quoniam vero certissimum insuper est, Turcicorum piratarum numerum longe excedere Christianorum naves, hinc haud mirum Turcicæ gentis captivos nostræ potestatis subactos multo plures esse Christianis vos captis, quorum liberationem ardentè exoptamus, de cetero certi sitis, nobis jucundius esse, quam fervens illud, quo Magnus vester Dominus flagrat, captivos redimendi studium; illud enim non mancipia

Sæc. XVIII.
A. C 1730.

ardens in nobis excitat desiderium, ut vicissim Christiani nostri a vestra servitute liberentur: Attamen ea res tam subito fieri nequit, nec executioni aliter dari potest, nisi prout inter Christianos Principes moris est; Rogamus itaque, ut hac in re usitatam hanc, ceterisque magis opportunam seligatis viam, scilicet, ut utriusque partis captivi vicissim æquo numero liberentur. Hac super re Magni vestri Domini responsum avidè expectamus, & tecum lætamur, a tuo Monarcha te ad tam insigne charitatis opus fuisse selectum, Deum precamur, ut optatus respondeat successus, demum te Divinæ providentiæ commendamus.

Interim vero, dum ad has literas responsum daretur, Equites cuncta ad validam Insulæ defensionem parabant.

§. LXXXIX.

Scriptores Catholici hoc anno denati.

Plures ex Scriptoribus Religione Catholicis præmatura nimis mors literariæ Reipublicæ hoc anno sustulit: Hos inter haud infimus est Joannes Nicolaus Maurocordatus, cujus fatum supra recensuimus. Hic Historiam Ecclesiasticam, quam Alexander ejus Parens præter plura alia scriptam reliquerat, publicis typis edi curavit: Exstat insuper ejusdem tractatus de *Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* Bb Of